

**Dissertatio medica inauguralis, de ischuria ... / Eruditorum examini
submittit Cornelius Middelaar.**

Contributors

Middelaar, Cornelius.
Schultens, Albert, 1686-1750.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Johannem Luzac, [1739]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bh88qk8v>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

INERTIAM FUGAT
VIGILANTIA DOCTA

DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS,
DE
ISCHURIA.

QUAM,
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris.

D. ALBERTI SCHULTENS

S. S. THEOL. DOCT. ET LINGUARUM ORIENTALIUM
PROFESSORIS, COLLEGII THEOLOG. ILLUSTR. AC
PRÆPOT. ORDINUM HOLL. ET WESTFRIS:
REGENTIS. MSS. ORIENTALIUM LEG.
WARNER. INTERPRETIS.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu;

& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,


PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in Medicina Honoribus & Privilegiis rite ac
legitime consequendis

Eruditorum Examini submittit

CORNELIUS MIDDELAAR, Medioburgo-Zelandus.

Ad diem 18 Junii 1739. hora locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM

JOHANNEM LUZAC

F. v. Bleyaeyck

Apud

Inven & Fecit

DISSERTATIO
MEDICA IN AURALIA
DE
PULSIONE URIAE

ANNUNTIO D. O. L. OTT. MAX.

D. ALBERTI SCHULTENS

PHYSICUS, DOCTOR ET INQUIRITOR
MAGISTER, COLLEGIUM THEOLOGICUM
PR. EPOT. ORDINUM ILL. ET WESTPH.
PROFESSOR, MAG. ALBANI, LEO.

PRAEFATIO

Supplicavit, 24. JUNII, 1750. ACADEMICA
S. ALBERTI SCHULTENS, MAGISTER MEDICAE
PRO GRADU DOCTORATUS
Summius in Academia Hannoverae & Lüneburgensi
Magister, consensu

CORNELIUS MIDDLEAAR, Medico-Philosophus
A. 1750. 1751. 1752. 1753. 1754. 1755.



D E O

T. O. M.

P A T R I A E,
F R A T R I B U S,
T U T O R I B U S,
P R Æ C E P T O R I B U S,
A T Q U E
A M I C I S.

*Ea, qua par est, animi submissione & obsequio
venerandis, se totum
&*

*Hancce Inauguralem Dissertatio-
nem offert & consecrat*

CORNELIUS MIDDELAAR.

A U C T O R.

D E O

T O M

P A T R I A E

F R A T R I B U S

T U T O R I B U S

P R A E C E P T O R I B U S

C A P T I V I S


A M I C I S

Has qui per se, non per alios, in

hunc locum, non per alios, in

CORNELIUS MONTANA

in hunc locum, non per alios, in



DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS:

DE

ISCHURIA.

CAPUT PRIMUM.

De Etymologia, Definitione atque Divisione.

§. 1.



Ischuria est vocabulum Græcum. Derivatur ab ἰσχω, *cohibeo, contineo*, aut ἰσχυς, *validus*, & ὕδωρ, *urina*. Latinis vero dicitur urinæ suppressio. Hanc definimus totalem urinæ retentionem, ita ut nihil lotii, intra notabile temporis spatium, excernatur.

§. 2.

Dividitur in *Veram*, & *Spuriam*, seu *Notham*. *Vera* dicitur urinæ in renibus secretæ, & per ureteres ad

vesicam delatæ, impedita excretio. *Spuria* vocatur, quando urina, vel non secernitur in renibus, vel in iisdem secreta impeditur deferri ad ureteres, aut in eos delata sinitur, nec ad vesicam pervenit.

CAPUT SECUNDUM

De Causis.

§. 3.

Antequam enumerem Causas, Ischuriam *Veram* producentes, haud incongruum fore suspicor, breviter modum excernendi urinam præmittere. Vesica urinaria est receptaculum membranoso-musculosum, expansibile, contractile, in pelvi situm, urinæ excipiendæ, colligendæ, & excernendæ destinatum. Hæc urina in renibus secreta, per ureteres, parti inferiori & posteriori vesicæ oblique insertos, in ejus cavitate patentes, continuo jugique fluore stillat. Hæc in vesica collecta, copia sua, acrimonia, vel utraque, hominem ad excretionem sollicitat. Homo excreturus urinam, inspirat aërem, eumque retinet, nixum edit, expansis aëre pulmonibus, diaphragmate deorsum agente, premuntur viscera abdominis, contractis musculis abdominalibus, tota pressio deorsum dirigitur in pelvim; hinc in vesicam urinariam, quo nixu, simul contractantibus sese fibris vesicæ, resistentia sphincteris superatur, urinaque per urethram foras expellitur. Vesica depleta contrahunt se fibræ spincteris, & reliquæ lotii, contractione muscutorum acceleratorum in Viris, expelluntur.

§. 4.

§. 4.

Causæ vero, hanc lotii suppressionem creantes, vel per se, vel cum concurrente alia causa, variæ cum sint, commode, meo iudicio, referri poterunt ad sequentes classes.

§. 5.

I. Ad impeditam urinæ, exitum postulantis, in mente perceptionem.

Huc spectant morbi, a quibus aliquando produci Ischuriam testantur Practici, uti soporosi, phrenitis, causus, aliique morbi acuti: his addi potest nervorum vesicæ stupor. Vesicam vero gaudere sensu, eumque mediantibus nervis fieri, nemo negare potest: verum, ut nervi vesicæ sentientes functiones suas exerceant, requiritur liberum inter eos & sensorium commune commercium, quo sublato sensus obtunditur, stimulus irritantis urinæ non percipitur, atque (illæsa actione sphincteris) nascitur Ischuria.

§. 6.

II. Ad Causas impediētes ne sphincteris vesicæ restituentia superetur.

Huc refero (1^o) morbos inflammatorios, utpote paraphrenitidem, inflammationem viscerum abdominalium, peritonæi, ipsius vesicæ, & muscutorum abdominalium. Hujus rei ratio haud adeo obscura videtur, dum constat omnem inflammationem creare atrocem dolorem, eumque mota parte inflammata immane quantum augeri; unde hi homines omni modo studentes evitare augmentum doloris, actionem & nixum (§. 3. memoratum) edere non audentes, neque potentes, urinam supprimunt.

2^o. Nimiam Laxitatem atque Debilitatem muscutorum abdominalium, cum vis utique & robur ad sufficienter

ter vesicam comprimendam, resistantiamque sphincteris superandam illis deficit.

3°. Nimiam vesicæ Distentionem. Diximus urinam jugi fluore in vesicam stillare, eamque copia sua, acrimonia, vel utraque, hominem ad excretionem sollicitare: si vero homo stimulum irritantis urinæ non percipiat, vel si stimulum quidem percipiens, ei obnitatur, v. g. propter pudorem, vel alia de causa, veluti dum sit in concione, vel mensæ cum honestis & præstantissimis accumbat, tunc urinæ sensim major & major copia collecta, tantopere expandit vesicam, ut fibræ ejus ultra tonum distentæ reddantur paralyticæ, postea vero, etsi homo vesicam cupiat exonerare, haud potest, irritos deprehendit omnes conatus. A retenta ob pudorem urina habetur apud AMBROSIIUM PARÆUM *lib. XVII. cap. 50.* ubi narrat juvenem quendam equitantem, & dominam a tergo habentem, urinam quam maxime ad excretionem urgentem, reddere non ausum fuisse: domum redux, frustraingere tentat; accedunt ab expansa nimis vesica gravia symptomata; immisso cathetere, compressoque hypogastrio, evacuatur urina; hinc, sublata causa, fibras ultra sphaeram activitatis distendente, sanitati restituitur. A causa non absimili in eundem incidit morbum ipse FORESTUS, uti meminit *lib. XXV. obs. 14.* cum Alcmaria Leydam proficisceretur curru; levius tamen, quam modo citatus juvenis, laboravit, sola enim hypogastrii compressione manibus calefactis, malum hoc superavit. Hic casus potest etiam in febre continua contingere, secundum observationem H. F. AB AQUAPENDENTE referentis quendam febre continua ac periculosa correptum, natura crisin faciente per alvum & urinam, per alvum quidem sine diffi-

difficultate excrevisse, sed urina tam copiose ad vesicam defluxit, ut, fibris ejus nimis distentis, illam reddere non amplius potuerit, *Operat. Chir. part. 1. cap. 58.*

4°. Sphincteris vesicæ spasmodica Constrictio, ut in colica convulsiva sæpe obtinet, nec non in passione Hysterica, in qua aliquando urina supprimitur, perinde ac si calculus eam obstrueret; Sydenham. *pag. 390.* nulla alia de causa, nisi (ut mihi videtur) spasmodica constrictione sphincteris.

5°. Prolapsus vesicæ in scrotum, quatenus vesica tunc hæret extra omnem pressionem; talis vero hernia seu prolapsus fit, dum vesica, urina valde turgida, transit per locum minus resistentem, hoc est, per annulum quem pertranseunt vasa spermatica, sicque cadit in scrotum. Talem casum memini me clariss. meum, dum viveret, Præceptorem, HERM. BOERHAAVIUM audivisse narrantem, nimirum Judæum quendam sponsum, nuptiali mensæ assidentem, necessitate excernendi urinam summo opere urgente, de mensa recedere non ausum fuisse, postea finitis epulis, cum urinam reddere vellet, haud potuit; re examinata, deprehendebatur scrotum tumidum, quo pressa evacuabatur urina. Talem vesicæ prolapsus meminit etiam PLATERUS, ut & Ruysch. vid. ejus observationes.

§. 7.

III. *Ad solutionem continui vesicæ.* Quæ fieri potest vulnere, vel si, vesica urina turgida, ei valida vis ac violentia applicatur; sic vesicam in partu difficili aliquando fuisse continuitate solutam, testantur Observatores, dum parturientes summos edunt nixus ut excludant foetum, vesica distenta, valideque pressa disrumpit.

B

pit. Vel contingit etiam violentia externa ei nimis repletæ applicata, veluti ictu, lapsu, &c. sic cuidam lapsu in terram vesicam fuisse disruptam meminit GÖCKELIUS *cent. II. obs. 40.* ubi narrat historiam duorum Rusticorum, qui, dum luctarentur, alter alterum in terram projecit, quo lapsu prostrati vesica, ob affatim hauritam cerevisiam valde repleta, disrupta fuit. Sed quoties talis continui vesicæ solutio fiet, ut urina per vulnus extra corpus effluere possit, veluti in vulnere inflicto supra os pubis, in vesicam penetrante, quem observavit STALPART VAN DER WIEL. *cent. I. obs. 81.* aut in partu laboriosissimo, lacerata inferiori vesicæ, simul cum ea vaginæ parte, quæ ei adhæret, secundum *obs. ejusdem cent. I. obs. 82.* non fiet Ischuria, sed potius impotentia retinendi urinam.

§. 8.

IV. *Ad obstructionem colli vesicæ meatusque urinarii:* A calculo, humore crasso pituitoso, pure, sanguine concreto. Sic sanguis delapsus e renibus in vesicam, quandoque coit in thrombos, orificium vesicæ, ipsamve urethram obturat, viam urinæ præcludit; id memorante Celeberr. BOERHAAVIO, contigit in eximio hujus Academiae quondam Professore Clarissimo DRELINCOURTIO, qui ante fata quotidie emittebat tales thrombos, instar vermium efformatos, ad semi ulnæ longitudinem quandoque tenaculo extrahendos, quo tandem morbo interiit.

§. 9.

V. *Ad compressionem colli vesicæ, atque urethræ, a tumore externo.*

1°. Urethræ principium est canalis membranofus, quem substantia spongiosa, sive cavernosa, ei propria, non-

nondum ambit, & hæc præcise urethræ pars immergitur quasi glandulæ prostaticæ: hinc patet, quod si hæc glandula obstruatur, inflammetur, scirrhescat, effectui jam dicto producendo erit apta. A tumore illius glandulæ Ischuriam *Veram* ortam fuisse, meminit ETTMULLERUS *tom. II. p. m. 724.* ubi narrat, Principem quendam Tuscanum, a tumore istius glandulæ duro, ut apparuit ex cadaveris inspectione, Ischuria correptum, mortuum fuisse. Calculum in hacce glandula genitum urinam suppressisse meminit RHODIUS *cent. II. obs. 27.*

2°. Vesica urinaria in Viris adjacet intestino recto, eique mediante membrana cellulosa adhæret; in Mulieribus vero accumbit vaginæ, hæc intestino dicto, quæ partes ejusdem membranæ interventu connectuntur; unde hæ partes a contentis distentæ vesicam, ejus collum, urethramque comprimunt; hinc intestinum rectum fæcibus duris flatibusve distentum, in Viris comprimens glandulam supra memoratam, angustat meatum urinarium.

3°. Huc spectant hæmorrhoides insigniter tumentes, prolapsus uteri, nimia ejus intumescencia ab inflammatione, abscessu, scirrho, mola, foetu grandiori, lapide insigni, &c. tumor in Mulieribus inter anum & vulvam enatus, in Viris intra intestinum rectum & vesicam, prolapsus mesenterii cum intestinis tenuibus in scrotum, steatoma ingens vesicæ orificium comprimens.

§. 10.

VI. *Ad causas coarctantes collum vesicæ meatumque urinarium.* Quales sunt plethora, inflammatio, qua vasa collum vesicæ urethramque perreptantia insigniter disten-

distenduntur, & sic angustatur eorum cavitas, abscessus, excrescentia, in dictis partibus, gonorrhœa vel alia de causa enata, caruncula dicta, cicatrix crassior, &c.

§. 11.

VII. *Ad Coalitum urethræ, partiumve ejus extremitati appositarum.* Talis est coälitus labrorum vulvæ, præputium meatus urinarii extremitatem occludens, glans penis non perforata, quæ quandoque in recens natis observantur, atque Ischuriam producunt, nisi via urinae per alium locum pateat.

Visis causis Ischuriæ *Veræ*, transeo ad causas *Spuriæ*.

§. 12.

Ut commode causas Ischuriæ *Spuriæ* indagare queam, haud inutile fore existimo, præmittere conditiones, sine quibus bona & legitima lotii secretio in renibus, secretique per eosdem & ureteres in vesicam delatio fieri nequit. Requiritur itaque, 1°. ut sanguis sit bonæ constitutionis, contineatque in se laticem urinosum fecernendum; 2°. ut sanguis sic constitutus, legitimo modo vasis renalibus, laticem illum urinosum a sanguine fecernentibus, applicetur; 3°. ut vasa renalia, huicce secretioni inservientia, sint bene sese habentia; 4°. ut patula sit via per tubulos Bellinianos, papillas, canales membranosos, pelvim, & sic urina secreta deferri queat ad ureteres; & tandem 5°. ut per ureteres nulla obstante causa defluere possit in vesicam.

§. 13.

Ex hisce memoratis patet, 1°. sanguinem posse supeditare causam, dum adeo densus, tenax & crassus red-

redditur, ut nihil laticis urinosi inde secerpi queat, veluti aliquando fit in morbis inflammatoriis, febribus ardentibus, BALLONIUS *tom. III. pag. 182 & 291. edit. Venet. 1735.* Humores enim velociter per corpus moti, atque valida vasorum actione pressi, partibus liquidioribus spoliantur, reliqua massa remanens inspissatur, atque incrassatur.

§. 14.

2^{do}. Legitima applicatio læditur; quando liquidum urinosum secernendum in alia loca derivatur, veluti in hydrope, præcipue ascite, diarrhoea, sudore, sic in febribus, quæ sudore critico terminantur, aliquando fit totalis urinæ suppressio, quam tunc solet subsequi rigor, testante Hipp. *Epidem. lib. v. sect. 1. n. 9.* hisce verbis, *rigorem urinarum suppressiones præcedere solent* Hanc observationem rursus confirmat Hipp. *Prorrh. lib. 1. n. 110.* ubi ait, *in iis quibus rigores imminet, urina restitat, velut huic Mulieri contigit, quæ ubi inhorruit, sudore correpta est.*

Licet legitime applicetur liquidum urinosum ad tubulos uriniferos, tamen poterit derivari in locum non debitum, renibus vel ureteribus calculo perforatis ulcere exesis, vel uno rene seu uretere functioni obeundæ innepto, altero vulnere percisso; nam tunc effundetur in cavum abdominis, & faciet hydropem ascitem.

§. 15.

Hisce præmissis sequuntur causæ, quæ sic disponere valent renes ureteresque, ut urinæ secretio, ejusque in vesicam delatio tollatur.

Causæ vero hoc efficientes poterunt referri ad causas *Obstruentes, Comprimentes, Coarctantes atque Constringentes* vasa renalia ureteresque.

§. 16.

Verum priusquam illas commemorem, præmittendum esse censeo, requiri amborum simul renum & ureterum ad functionem obeundam ineptitudinem, ut Ischuria *Notha* oriatur; nam si unius duntaxat renis vel ureteris functio abolita fuerit, tunc nullus Ischuriæ dabitur locus, dum alter ren cum suo uretere in incredibilem expanditur magnitudinem, ita ut duplo, triplo, imo quadruplo, & ultra, naturali major fiat, & sic supplet defectum alterius: verum omnibus iisdem manentibus, si ren sanus sic afficiatur, ut ejus functio tollatur, tunc non potest fieri quin nascatur Ischuria: Attamen haud raro fit, annotantibus hoc HIPPOCRATE atque FORESTO, ut uno rene inflammato, calculo, aut grumo sanguinis obfesso, alter etiam cessat agere, quod sane unice videtur deberi irritationi, vel stimulo, per consensum nervorum alteri conciliato, unde vasa renalia spasmodice constricta impediunt urinæ secretionem, ejusque in vesicam translationem.

§. 17.

I. Causa, quæ renes, ureteres *Obstruendo* Ischuriam producit, est 1°. materies crassa viscida, tenax, lapidea, veluti sanguis concretus, pus, pituita, materia gypsæa, arenulosa, calculus in pelvi renum hærens, initium ureteris obstruens, vel in ipso uretere; calculum in utraque pelvi renum horrendum, & præter hos adhuc alium ingentem in medio renis dextri repertos notavit Ruysch. *obs. Anat. Chir.* 95. Calculum utriusque ureteris infundibulum obsidentem observavit RHODIUS *cent. III. obs.* 29. Honestissimam quandam Matronam, calculo in utroque existente uretere supprimeute urinam, mortuam refert

HIL.

HILDANUS *lib. de Lythotomia vesicæ cap. xxv. pag. 750.*

2do. Medicamenta diuretica, imprimis valida, quæ humores crassos, crudos viscidosque alicubi in corpore hærentes, vel vagabundos ad renes, & ureteres determinant; sic memini audivisse me Clariss. Præceptorem H. OOSTERDYK SCHACHT, summo honore in æternum venerandum, narrantem ante aliquot annos remedium egregium antartriticum fuisse excogitatum (uti a quibusdam existimabatur) nimirum erat Tinct. rad. Aristolochiæ tenuis, cum spiritu juniperi extracta, a cujus remedii usu fere omnes in dysuriam, Ischuriamve prolapsi, summopere anxii & convulsi vitam finierunt; incisis quorundam dicta ratione defunctorum cadaveribus, invenit vir Clariss. pelvim renalem & ureteres materia gypsea, omni dote referente illam, quæ ex articulis podagricorum exprimitur, oppletos & infarctos.

3°. Inflammatio renum, quando scil. sanguis vasis, unde tubuli uriniferi oriuntur, impactus hæret, febremque habet comitem; si vero inflammatio talis in abscessum transeat, fiet renum consumptio. Ex causis jam allegatis facile deduci potest renum scirrhus, petrefactio, qualem observavit STEPHANUS BLANCARDUS; asserit enim in Praxi sua Medica pag. 167. se in cadavere Mulieris cujusdam aperto deprehendisse renes in albastrinam duritiem & soliditatem obriguisset.

§. 18.

II. Causa, quæ *Comprimendo* vasa renalia Ischuriam producit, est calculus renes obsidens, plethora, qua extenduntur vasa majora, comprimuntur lateralia minora, transitusque humorum per ea impeditur. Apparent in rene arte Ruyschiana impleto, vasa sanguifera,

ra, inter tubulos Bellinianos distributa, quæ si nimis sanguine turgent, comprimunt tubulos modo dictos, laticis urinosis transfluxum per eosdem inhibent.

Hiscæ, quatenus eundem producant effectum, addimus rarefactionem humorum per motum & calorem, inflammationem: quibus subjungimus tumores partium vicinarum; renes vel ureteres comprimentes; ab ileo jam advertit HIPPOCRATES urinam intercipi, ureteres enim per longam sui partem subjacent intestino ileo; si nunc illud intestinum distentum ureteres comprimat, denegabitur urinæ per hosce canales in vesicam transfluxus.

§. 19.

III. Causarum (§. 18. memoratarum) quædam, canales renum membranofos, pelvim, aut ureteres obsidentes, poterunt etiam considerari ut effectum producentes *Coarctando*; exemplo sit inflammatio dictas partes obsidens, unde membranæ, hosce canales constituentes, valde intumescunt, & eorum cavitatem insigniter imminuunt.

§. 20.

IV. Causa *Contrahendo* atque *Constringendo* Ischuriam produciens est frigus, lumbis antea calefactis, subito exceptum; frigore enim contrahuntur vasa, condensantur liquida; calculus, imprimis asper; humores acres, qui irritando & vellicando vasa renalia constringunt; horum spasmodica contractio, uti in Hypochondriaca, Hysterica passione, & Colica convulsiva, obtinet.

Ex dictis Ischuriæ cum *Veræ*, tum *Spuriæ*, causa proxima facile intelligitur, nec difficilis erit Diagnofis, ad cujus pertractationem pergimus.

C A.

CAPUT TERTIUM.

De Diagnosi.

§. 21.

An homo Ischuria laboret, ex definitione (§. 1.) data clare constat.

Verum quum dividatur in *Veram* & *Spuriam* (§. 2.) sedulo Medico indagandum est utra Ischuria affligat; id haud difficulter cognoscitur, si attendatur ad sequentia.

§. 22.

Ex definitione *Veræ* (§. 2.) data constat, urinam quidem per ureterem in vesicam deferri, dum interim impeditur ejusdem excretio, unde necessario ob perpetim affluens lotium hæc sensim magis magisque distenditur, (nisi continuitate soluta fuerit) assurgit supra os pubis, in infantibus magis quam in adultis, nascitur ibidem tumor vesicam referens, tactu facile deprehendendus, & a fibris nervosis valde tensis dolor. Tanta urinæ copia collecta producit ibidem sensum gravitatis & ponderis, hæc eadem copia vel etiam acrimonia (sensu vigente) irritat, sui utpote molesti expulsionem postulans, hinc desiderium, & conatus urinam excernendi, sed frustranei.

§. 23.

Verum quum nullum proprie signum Pathognomonicum detur, nisi signa concurrentia addantur, quo-

C

rum

rum quædam aliquando deficere possunt, rem uno illustrasse exemplo sufficiet: vesicæ tumor supra os pubis non poterit obtinere in iis, quibus vesica a calculo, ulcere, aliave ratione dura, crassa, callosa, inextensibilis facta fuerit; hinc optimum Ischuriam *Veram*, *Nothamve* distinguendi signum, cæteris non sufficientibus esset catheteris applicatio, in *Vera* si usque in vesicam intromitti poterit catheter, effluet urina, in *Notha* nihil: sed etsi in vesicam usque demittatur catheter vulgaris, nec sic quidem in *Vera* semper cietur urina, etenim aliquando grumus sanguinis, pus, pituita, vel alius quidam obex in vesica hærens collumque ejus obstruens, catheteris hujus immissi foramina obturat, sicque impedit urinæ transfluxum per illum; verum hoc plerumque præcaveri poterit immisso cathetere, per quem traductus est stilus tenuis, cujus apici affixus est globulus argenteus, qui, pressio introrsum stilo, ab altero catheteris extremo in vesica jam latente, removet causam obstruentem, sic urinæ effluxum per cathetere conciliat, vel urina sæpe evacuatur, prudenter moto atque flexo cathetere in vesicam immisso; verum quamvis hæc omnia ita sese habeant, sic tamen casus docent, urinam vesicam per immisos dictos catheteres non profluere, nisi in certa quadam corporis positura, determinatis quibusdam immissi catheteris motionibus.

§. 24.

Præterquam quod cathetere immisso nihil urinæ exeat in Ischuria *Spuria*, aderunt etiam nulla symptomatum (§. 22.) jam memoratorum, neque ulla signa vesicæ continuitate solutæ, sed potius vel morbi præsentis, quibus adscribi potest hic affectus, vel vitia renum vel ureterum.

CA-

C A P U T Q U A R T U M.

De signis Causarum.

§. 25.

Diagnosi exposita, conveniet aliquid dicere de signis, quibus mediantibus pervenimus in cognitionem causæ, vel potius morbi, Ischuriam producentis. In genere vero causa hujus mali cognoscitur ex signis morbi præsentis, hoc malum inducentis.

§. 26.

Si a morbo quodam illorum (§. 5.) memoratorum ortum traxerit, facile hoc patebit præsentem tali morbo, nullo interim alio vitio præsentem, vel noto, cui adscribi possit.

Nervos vesicæ stupidos seu paralyti affectos conjicimus, ubi nullus ad mejendum conatus, stimulus, desiderium, causa ad excretionem stimulante, tamen præsentem.

§. 27.

Nimiam vesicæ distentionem a collecta urina hunc affectum inducere scitur, ex confessione ægri, fatentis se urinam diutius retinuisse, ex tumore vesicæ adscendentis supra os pubis, tactu percipiendo, dolore, aliorum signorum absentia.

Hernia seu prolapsus vesicæ in scrotum itidem ex nimia vesicæ a lotio distentione prægressa, præsentem tumorem in scroto, effluente urina a presso tumore.

§. 28.

Vesicae solutio continui conjicietur, si praegressa fuerint dicta (§. 7.) senserit tunc in regione vesicae dolorem ingentem, cathetere parum vel nihil urinæ educatur, nulla expansæ vesicae, renum vel ureterum antea affectorum signa adfuerint, sed collecti in abdomen humoris sequantur.

§. 29.

Sanguis concretus cognoscetur mictione sanguinis praegressa, adhærentibus grumis sanguinis apici catheteris post extractionem.

Humor crassus pituitosus si causa fuerit, cognoscetur ex humoris viscidum pituitosi excretionem praegressa, temperiei pituitosæ signis.

Pus vero collum vesicae meatumque urinarium obturare conjicitur, pure cum urina antea excreto, aliisve ulceris in vesica, ureteribus, renibus, delitescens signis.

Calculus obstruens collum vesicae cognoscitur ex signis calculi, scil. dolore, sensu ponderis circa pubem, perinaeum, pectinem, pruritu summo glandis penis ejusdem contrectatione, priapismo, maxime tenesmo, catheteris applicatione, digiti in anum intromissione, &c.

Calculus urethrae impactus dignoscitur ex signis calculi praegressis maxime a renibus per ureterem in vesicam delapsi, ex duritie, sonitu percepto in urethram immisso cathetere, subitanea urinæ suppressione.

§. 30.

Intestini recti repletio, hæmorrhoides tumentes, prolapsus uteri, ejus tumor, visu, tactu, ægri confessione, facile patent.

§. 31.

§. 31.

Si inflammatio urethræ, aut ipsius vesicæ, fuerit causa, cognoscetur ex signis inflammationis in his partibus, ardore, dolore pungente, lancinante, ad minimum nixum vel pressionem vehementer aucto, febre continua acuta.

Carunculam esse causam conijcimus, si prægressa gonorrhœa, præsensve, aut alia ulcera: si urina semper tenuiori tenuiorique filo excreta, & tandem plane intercepta fuerit, nec non per catheteris immisionem persentiat; atqui & præcipue cognoscitur, si intromisso cathetere avulsa, cum urina paucisque guttulis sanguinis, excernatur.

§. 32.

Coälitus atque occlusio labrorum vulvæ, glandis penis, præputii, sponte patent.

§. 33.

Visis signis Causarum *Veræ*, transeo ad signa quibus innotescit Medicus, quænam sit causa *Ischuriam Notham* sive *Spuriam* creans.

§. 34.

Si sanguis itaque densatus fuerit causa, constabit ex morbis inflammatoriis præsentibus, symptomatibus reliquis, sanguinem adeo densum redditum testantibus.

§. 35.

Derivationi laticis urinosi in alia loca urinæ suppressionem adscribendam esse renibus, ureteribus se optimè interim habentibus, præsentibus illis jam memoratis (§. 14) patebit.

Vulnus prægressum sic ut in renem ureteremve penetrare potuerit, subsequens urinæ suppressio, cum

symptomatibus urinæ in abdomen effusionem concomitantibus, docent vulnere transcissum renem vel ureterem.

§. 36.

Calculus in renibus, ureteribus si hæreat, exhibebit fere eadem signa quæ renum inflammatio, de qua infra dicetur: nulla tamen febris aderit, quandoque prægressa urina sabulosa, miæctus cruentus, &c.

Plethora si fuerit causa cognoscetur ex vita antea acta euchyma, sedentaria, pulsu pleno, anxietate præcordiorum, tumescencia venarum sanguiferarum, rubore faciei, oculorum, suppressis menstruis in sexu sequiori, in Viris hæmorrhoidibus, Hæmorrhagiis narium solitis, aliisque.

Inflammatio renum cognoscitur ex febre acuta continua, aliisque inflammationis signis memoratis (§. 31.), stupore cruris, dolore, atque retractione testis ejusdem lateris, in quo ren affectus, vel amborum, si ambo affecti fuerint, ructu, nausea, vomitu bilioso.

§. 37.

Plura addere non lubet, quum morbi quorum Ischuria est symptoma, ex propriis signis se manifestant, nec tamen omnes causæ certis signis se manifestant, imo quandoque adeo latent, ut Practicus, Linceus licet, has vix ac ne vix quidem eruet; aliquando demum post mortem ex cadaveris inspectione patent, sic posse calculum tota vita hære in rene absque ullis præsentis suæ signis, lienemque durum quasi lapideum sine ullis affecti lienis indiciis docent Acta Parisina: sic lapidem unc. 4 & ultra in uretere, alium 7. unc. in vesica sine do-

doloris sensatione hæsisse observavit Celeb HERM. OOSTERDYK SCHACHT. vid. orat. ejus habita 1735.

C A P U T Q U I N T U M.

De Prognosi.

§. 38.

Ischuria *Vera* quatenus est tantum urinæ in vesica retentione, valde quidem molesta, neutiquam vero adeo periculosa censenda est, quamdiu cathetere præsertim facile educi potest. Equidem vita ægri, ratione morborum, qui ut causa hanc urinæ retentionem producant, summopere quidem poterit periclitari, quod vero periculum illi suppressioni minime adscribi potest, v. g. si producat a morbo quodam illorum, quorum (§. 5.) mentionem fecimus, tunc respectu talis morbi, cui Ischuria tanquam symptoma pessimum supervenit, ingens periculum denunciat, non vero, uti unicuique evidenter apparet, ratione ipsius suppressionis, quoniam vesica cathetere depleri poterit.

§. 39.

Si vero cathetere extrahi nequit, aut ejuseductio negligitur, culpa Medici, vel Ægri, ratione ipsius suppressionis in summo vitæ discrimine versabitur Æger; nam præterquam quod vesica in immensum expandatur, urina etiam in vesica, ut in loco clauso & calido, contenta, atque mora partibus blandioribus spoliata, fit acris, imo acerrima, unde varia & pessima suboriuntur symptomata, partim a nimia vesicæ distentione, partim
ab

ab acrimonia ipsius urinæ ; nimirum 1°. dolor acerri-
mus , quo irritato systemate nervoso aliquando pessimæ
excitantur convulsiones : vel 2°. ipsius inflammatio,
exulceratio, atque gangræna : vel 3°. ipsius vesicæ dis-
ruptio , quæ si contingit , aliquando brevi , pessimis
obortis symptomatibus , hominem e medio tollit ; quan-
doque aliquamdiu vitam , sed miserrimam degunt , u-
rina sibi parante vias , per quas ex corpore eliminatur,
quod confirmat observatio EUSTACH. RUDII. *lib. II. cap.*
53. ubi narrat Monachum quendam ordinis Eremita-
rum , cui post Ischuriam vesica rupta fuerat , non mul-
tis diebus post per inguina urinam emisisse , deinde per
femora , nates , vicinaque loca , & ita miseram vitam
multis protraxisse annis.

Patet & hinc quoque , Ischuriam , a soluta conti-
nuitate vesicæ plerumque esse lethalem.

§. 40.

Notha vero valde periculosa est , & nisi a levi causa
producatur , quæ brevi temporis spatio tolli queat , vel
sponte , vel medicamine , plerumque lethalis est.

§. 41.

Si tamen ortum ducat a Plethora , non tam pericu-
losa habenda , dum depletis vasis V. S. vel larga super-
veniente Hæmorrhagia , sæpe feliciter curatur.

§. 42.

Datur etiam Ischuria bona & salutaris in febribus , u-
rinæ suppressio ante rigorem , sudoris prænuncia , ut
jam supra (§. 14.) ex Hipp. allegavimus.

§. 43.

Quæ vero oritur a calculis renum vel ureterum ma-
joribus , quibus subitus descensus ad vesicam conciliari
ne-

quit; vel a materia crassa, tenaci, pituitosa, (præcipue in senibus), quatenus brevi attenuari, incidi, atque tandem expelli nequit, sic ut obstructio referetur; vel a solutione continui renum aut ureterum, vel tandem a renibus consumptis, seu scirrhosis, fere semper lethalis.

Reñes vero petrefacti nec cognosci, nec curari possunt.

§. 44.

Cum urinæ secretio a natura destinata sit, partim ut aquosi in humoribus nostris suprapondium tollatur, partim etiam (quod præcipuum est) ut salia & olea per vim vitæ nimis evecta, acria reddita, & quæ, si diutius in corpore manerent, jam nocerent, continuo, per vias urinarias, eliminantur; si nunc integre sublata sit urinæ secretio, salia eliminanda per repetitos humorum circuitus sensim adhuc volatiliora reddentur, olea tenuiora, acriora, unde varia imo & lethalia producuntur symptomata, nimirum anxietates præcordiorum, tumor universi corporis ædematosus, præcipue pedum, interdum ascites, inquietudines, sitis, febris, vigiliæ, cephalalgia, sudores, & halitus fætidus urinosis, vomitus urinosus, insomnia terribilia, dum putant ægri, se in aquas cadere & submergi, deliria, convulsiones, & tandem tenerrima cerebri pulpa destructa apoplexia, quam brevi, destructis tenerrimis cerebelli staminibus, mors excipit.

§. 45.

Dies obitus Hominum Ischuria hacce laborantium exacte determinari non potest, dum alii citius, alii vero tardius intereunt; *valentia corpora, ut interdum vigesimum excurrunt diem, sic attingunt infirma vix septimum vel*

D

octa.

oëtavum. Certum est aliquos durasse ad undecimum & tamen ex toto iterum convaluisse ; sed post illum diem equidem vidi neminem enavigasse periculosum hoc Syrtium æquor TULPIUS lib. II. cap. 45.

Idem TULPIUS lib. VI. cap. 27. ubi mentionem facit Ischuriæ 11^o. die curatæ, sic loquitur ; *Ischuria*, licet interdum excurrat ad duodevigesimalum, occidit tamen non raro oëtavo, excurrente nihilominus curationis termino, ad diem duodecimum. at illum prætergressa, quamvis videatur dolor imminui, ac urina denuo profluere, pessundat tamen ægrum. Videtur tamen sibi obloqui TULPIUS, cum lib. II. cap. 43. habet exemplum Ischuriæ decimo oëtavo die crisi curatæ.

RHODIUS in obs. suis Med. cent. III. obs. 28. meminit, JOHANNEM DOMINICUM SALAM urinam per 15 dies, (sed duntaxat semel tota sua vita) suppressam vidisse in Viro, venis ad pollicis magnitudinem intumescens, quæ profluente denuo urina, in statu naturali rediere, cæterum urinam, salva manente vita, supra 5 vel 6 dies nunquam, meminerat retentam.

§. 46.

Oportet itaque ut Medicus sit prudens, & caveat ne, nimis bonum prædicendo eventum, famam perdat, si aliquamdiu duravit, quamvis urina denuo profluat, etsi exstent apud Observatores casus Hominum, qui per plures dies hacce laboraverunt, & profluente vero denuo urina nihilominus sanati fuerunt : casus etenim illi sunt rari ; urina enim in corpore contenta, sanguinique mixta, fit acris, labemque non solummodo imprimit sanguini, sed etiam partibus solidis ; unde Homines illi, quamvis urinam denuo excernant, postea a-

liquando miseram degunt vitam, tandemque extinguuntur. Sic memorat STALPART VAN DER WIEL *in obs. suis rar. cent. 1. obs. 51.* casum alicujus Septuagenarii, cui 16^{to}. die urina fuit provocata; prædixerat autem Consanguineis, eum neutiquam integræ valetudinis fore, quamquam urinam solito modo, & causam impediētem, calculum scil. redderet, propter labem visceribus jam a retento lotio inductam; dictum vero effectus confirmavit, nam pallidus vix miseram per integrum annum valuit producere vitam.

CAPUT SEXTUM.

De Curatione.

§ 47.

In Cura Ischuriæ *Veræ* videtur imprimis attendendum esse ad duas indicationes: 1^o. ut vesica depleatur, & sic nimia ejus distentio, indeque oriunda symptomata, v. g. summus dolor, inflammatio, &c., præcaveantur: 2^o. ut causam ischuriam creans, quantum fieri queat, tollatur.

§. 48.

Primæ indicationi satisfacit mediante cathetere convenienti, quo vesica exoneratur.

Educta semel per catheterem urina, sæpe aufertur malum; si tamen nihilominus perdurat, catheter denuo demittendus in vesicam, vel etiam intus relinquendus, donec vel sponte, vel ope medicamentorum, vesica pristinum tonum recuperaverit, & æger pro lubitu urinam reddere possit.

D 2

§. 49.

§. 49.

In quibusdam tamen casibus, ut in suppressione a diuturna retentione, spasmodica contractione sphincteris, aliisque, antequam catheter adhibeatur, præstat leniora tentare; solent enim horrere ægri viso cathetere, præterea non sine dolore plerumque immittitur; hinc commendat FABRICIUS AB AQUAPENDENTE *oper. Chir. pag. 1. cap. 58.* in Pueris, plus justo urinam detinentibus, *ad claram flammam pectinem calefacere, oleo calido de capparibus supra vesicam inungere, & stupam pexam calidam supra ponere*; ita enim asserit, fere omnes minxisse Pueros: alii commendant oleum scorpionum calide ante focum vesicæ inunctum; cæpæ assatæ pubi impositæ, secundum HEISTERUM *Chir. p. 2. §. V. c. 13.* egregii sunt effectus.

Convenit etiam in nimis distenta ab urinæ copia vesica, blanda ventris compressio manibus calidis.

§. 50.

In magna vesicæ inflammatione sæpe catheter immit-
ti nequit, saltem sine periculo, ob nimiam angustiam, inflammationem, dolorem summum; si tamen vi intruditur, facile quid intus dilaceratur, oritur hæmorrhagia, dolor & inflammatio augentur, incurrit æger periculum gangrænæ, mortis; hinc conducit prius larga V.S., cataplasmatibus resolventibus, clysteribus, medicamentis internis inflammationem minuere, & dein catheterem immittere, quod tunc sæpe feliciter succedit.

Caruncula post gonorrhœam, vel cicatrix post abscessum in urethra, curatur filo plumbeo vel cereo in urethram immisso, usque ad ipsum tuberculum, cujus
ex-

extremum aliquo medicamento rodente, V. G. unguento Ægyptiaco, mercurio præcipitato rubro, alumine usto, aliove inunctum; hoc bis terve de die repetitur, donec erosa caruncula vel cicatrice libere fluat urina: si vero nihil plane urinæ exonerari queat, catheter, si non leniter admittatur, aliqua vi intrudendus, sic disrupta caruncula, vel cicatrice, & emissa urina, modo dictum filum oleo inunctum immittendum, ut apertum seruetur urinæ iter.

§. 51.

Si vero catheter intromitti nequit ob dolorem acerbissimum, inflammationem, carunculam, scirrhum prostaticarum, aliamve causam, omnia frustra tentata fuerint, tandem deveniendum est ad ipsam vesicæ perforationem, quæ duplici modo instituitur.

Prior Methodus dicitur punctura sive punctio perinæi; sumunt hodie acum triangularem, fistula argentea inclusam, quam Galli vocant *Trocar*, & in ea perinæi parte, quæ in parvo apparatu perforari solet, acum modo dictum adigunt usque in vesicam, cavendo tamen ne simul intestinum rectum lædatur; quod precaveri potest digito in anum immisso, quo simul instrumentum facilius in vesicam dirigi potest; relinquunt tubulum sive fistulam argenteam, extracta acu, in vesica, donec, causa mali sublata, urina per urethram exonerari queat; si causa fuerit caruncula vel cicatrix, methodus præscripta (§. 50.) adhibenda, mediante filo plumbeo vel cereo. Si vero ortum fuerit malum ab inflammatione colli vesicæ, interim facienda quæ dicta (§. eod.), sublata causa, tubulus argenteus extrahitur, & foramen ad consolidationem perducitur.

Altera Methodus fit, quando acu triangulari tubo argenteo instructa, pungitur ille locus, qui in alto apparatu solet incidi, scil. supra symphysin ossium pubis, & deprimitur acus usque in partem anteriorem corporis vesicæ, sicque evacuatur urina, quæ operandi ratio recentioribus Chirurgis alteri præferenda censetur.

§. 52.

Secundæ indicationi satisfacit, instituta curatione, causæ vel morbo Ischuriam producenti, opposita atque convenienti.

§. 53.

Nervorum vesicæ stuporis curatio varia est ratione causæ, atque eadem ac in aliis affectibus paralyticis.

Commendantur hic quædam specialia ab Autoribus, scil., ut immittantur in urethram pulices, pediculi, cimices, vel pili minutim conscissi: hisce tamen præferenda videtur, quæ aliis magis placet, salis immissio, ut irritando partem alias summopere sensilem, facultas ad mejendum excitetur.

Phrenitidis, causi, paraphrenitidis, inflammationum viscerum abdominalium, aliorumve morborum inflammatoriorum, medela intelligi poterit ex curatione inflammationis renum, & ureterum; de qua postea acturi sumus.

Si a morbo quodam soporoso producta fuerit, cura eo petenda.

§. 54.

Musculorum abdominalium nimia laxitas, atque debilitas curabitur fomentis, cataplasmatibus, linimentis, &c. ex corroborantibus, penetrantibus, additis emollientibus.

Her.

Hernia vesicæ requirit lenem scroti compressionem aliquoties de die repetitam, ut urinæ collectio impediatur, & si fieri queat, vesicæ in locum debitum repositionem, & retentionem.

§. 55.

Si calculus collo vesicæ inhærens eum obstruat, majorque fuerit, quam ut per urethram penetrare possit, cura palliativa instituenda, cum non tolli possit, nisi sectione, de qua tamen agere non est nostri instituti; hinc ab eo removendus catheteris ope, vel intromissione digiti in intestinum rectum, quod sæpe feliciter in Infantibus succedit.

HEISTERUS præfert hoc in casu sectionem perinæi, ne calculus in vesicam repulsus augeatur, ægrumque deinde majori periculo exponat.

Calculus vero si hæreat in urethra, convenit, ut virga emolliatur, atque laxa reddatur; in hunc finem Fomenta ex aqua cum lacte dulci, & sapone veneto, calide virgæ circum applicata, conducunt. Vel sumatur mica panis albi, & coquatur cum lacte dulci ad formam cataplasomatis, cui addatur butyrum insulsum oleum olivarum, lini, &c. Injiciatur, per siphunculum blandum quoddam ex memoratis oleum. Hisce sic emollita urethra, urinæ excretio magno nixu tentanda, sic forte fortuna calculum excernet, uti aliquando accidit; vel calculus ad extremitatem colis digitis premendus, sicque si fieri queat exprimendus. Quidam hic commendant inflationem, alii suctionem virgæ, rursus alii instrumenta quædam, quibus appropriatis calculus eximitur; si vero calculus ad extremitatem colis propulsus instrumentis extrahi nequit, commendat

PARÆUS, ut immittatur in meatum urinarium, usque ad calculum, instrumentum quoddam cannulæ inclusum, ne meatus urinaris lædatur, quo prudenter contorto, calculus, si fieri possit, confringitur: verum si omnia illa incassum adhibita fuerint ad extremum perveniendum, hoc est urethra aperienda, calculus extrahendus, & vulnus consolidandum, de qua re videri possunt Chirurghi.

Si vero sanguis concretus, &c. obstruat collum vesicæ, conveniunt balnea, semicupia, fomenta, cataplasmata, &c. pubi, perinæo applicanda, ex emollientibus atque aperientibus, veluti ex radice althææ, foliis ejusdem, malvæ, parietariæ, floribus sambuci, chamomillæ; herbis cherifolini, fœniculi, seminibus apii, anisi, &c. alvus in hocce casu si fuerit constipata, laxanda clysmate emolliente, aperiente, atque alvum evacuante, cura bene habita, ne nimis distendatur vesica, quod præcaveri potest educatione urinæ (§. 48.) conveniunt remedia interna emollientia, aperientia, leniter diuretica; verum remedia talia interna non nimis magna copia simul propinanda, sed parva duntaxat dosi sæpius repetita.

Si talis quædam materia crassa & densa obstruxerit meatum urinarium, eadem memorata extus ei circumapplicanda, atque interne assumenda conveniunt, nec non injectiones ex emollientibus, laxantibus tepidis, additis saponaceis, mellitis, ut sic urethra dilatetur, atque fluiditas materiei obstruenti concilietur.

§. 56.

Intestinum rectum fecibus duris, flatibusve distentum, convenit evacuare clysmate emolliente, lubricante, flatus discutiente, alvum solvente, in hunc finem con-

veniunt Medicamenta (§. præced.) memorata, vel similia, quæ coquantur in aqua pura, colaturæ addatur nitrum, vel sal gemmæ, Electuarium lenitivum, Diacatholicum, hieræ picræ, syrupus rosarum solutivus cum fenna, oleum olivarum, lini, mel album vel virgineum, &c.

Hæmorrhoidum, reliquarum causarum (§. 9.) memoratarum curatio ex propriis fontibus petenda.

§. 57.

Quod attinet ad præputium meatum urinarium occludens, glandis imperforationem, aut labrorum vulvæ coælitum, illi subvenitur, instituendo forfice vel cultro Chirurgico circumcissionem; his vero, dum glans lanceola subtili perforatur, labra naturalium glutinata scalpello aperiuntur; dein præcavetur, ne rursus concrecant. Operationes hæc debent mature institui, ut mala a retento lotio oriunda præcaveantur.

§. 58.

Restat, ut addam, quod si instituta perinæi punctiōne mali causa, ut scirrhus prostaticus, aliave, tolli nequeat, tunc per totam vitam fistula argentea in vesica sit gerenda.

§. 59.

Ut Ischuria *Vera*, sic *Spuria*, cum a tot tamque diversis oriatur causis, pro earum diversitate variam requirit medelam.

Conveniunt in hacce Ischuria, imprimis si aliquamdiu perdurat, remedia acida, veluti Spiritus nitri, salis, sive dulcis, sive acidus, sulphuris per campanam, &c. aliis remediis admiscenda, ut sanguis contra corruptionem muniatur.

E

§. 60.

§. 60.

In Plethora hunc affectum inducente, quam maxime prodest Venæ Sectio; tubuli Belliniani a sanguinis copia compressi, urinam non admittunt, minuenda ergo est pressio; hoc obtinetur depletis sanguine vasis, sic minus pressa vascula urinifera adeoque liberiora, urinam pertransire sinent. Sola sanguinis missione sanavit RIVERTIUS suppressione urinæ laborantem, cui varia in hoc affectu commendata, ipsaque Diuretica, incassum fuerant exhibita, vid. RIVER. cent. I. obs. I.

§. 61.

Calculus in pelvi, ureteribus, lotium sistens, requirit ea, quæ laxant dictas vias, hinc ejusdem delapsus in vesicam promovere valent. Hæc præstant
1°. Sanguinismissio, quandoquidem deplendo vasa ipsas vias laxiores reddit; 2°. Balnea, fomenta, &c. emollientia; clysteres itidem ex emollientibus, quibus, si alvus fuerit segnior, flatibusve obsessa, addenda sunt alvum leniter solventia, Eccoprotica dicta, atque flatus discutientia; 3°. Medicamenta interna vias lubricantia, atque laxantia, ex foliis malvæ, althææ, mercurialis, parietariæ &c.; oleosa blanda ex amygdalis, pistachiis, seminibus papaveris; 4°. Diuretica, sed leniora; etenim fortiora, nimis calculum propellendo, intollerabiles inferunt dolores, hinc spasmos, & calculum incuneando quasi, Ischuriam possent excitare lethalem; 5°. Opiata & anodina, quoniam a calculo præsentente, aspero præsertim, excitatur dolor, spasmodica contractio, hinc calculusprehenditur quasi maxime in ureteribus, nec ulterius progredi potest, quæ omnia dato opio sedantur, sic, viis laxatis, facilius datur descendens.

scensui locus; 6°. Natura haud raro excitat sponte vomitus, ut calculum hærentem protrudat, quos sæpe exhibita aqua tepida cum melle juvasse prodest: hinc si prioribus adhibitis, nihilominus dolor fixus manet, cum sensu gravitatis, signum est calculum vel majorem esse solito, vel alia de causa eidem loco hærrere, nec facile pertransire posse, adeoque suadent Practici tunc imitari naturam, exhibere vomitorium, ut concussione illa, & musculorum abdominalium contractione violenta repetita, forte calculus de loco suo in vesicam propellatur.

§. 62.

In materia crassa, viscida, tenaci, etiam sabulosa conveniunt clysteres emollientes, similiaque externa. Primæ viæ si colluvie quadam fuerint obsessæ, requiruntur, quam primum fieri potest, remedia evacuantia, vomitoria, vel purgantia, prout necessitas postulabit, & occasio permittet: dein conducunt remedia diuretica ex radicibus asparagi, althææ, apii, polypodii, glycyrrhizæ; foliis cherifolii, agrimonizæ, cichorii, malvæ, boraginis, buglossæ; seminibus dauci, anisi, apii, cherefolii, floribus chamomillæ, sambuci, hyperici; baccis juniperi, alckekengii; salibus genistæ, ablinthii; saponaceis, ut sapo venetus, starkeyanus, gummi ammoniacum, succinum, therebinthina; oleis juniperi, therebinthinæ, anisi. Commendantur hic etiam ab Auctoribus insecta, ut lumbrici terrestres, millepedes, vermes majales, &c. unde pro lubitu poterunt parari decocta, quibus admiscetur syrupus. §. 59.) memorata; vel poterunt inde parari mixturæ, conservæ, pillulæ &c: hisce

vasa laxantur, viscida crassa solvuntur, & ad vesicam determinantur. Non dubitant Practici plures in hoc casu exhibere ipsos cantharides, ut vi, qua pollent, saponacea acri, viscidum tenax potentius fundant.

§. 63.

In renum ureterumve inflammatione, conducunt 1°. Venæ Sectio, non tantum quatenus copiam humorum, & plenitudinem vasorum minuit, sed etiam quatenus sanguinis impetum ad renes remissiore reddat, & obstructa expedit: 2°. Diluentia aquosa resolventia, ut serum lactis, lac ebutyratum, & decocta emollientia, antiphlogistica, ex malva, parietaria, althæa, becabunga; floribus papaveris, rhæados; seminibus lini, papaveris albi, melonum, cardui mariæ; rad. graminis, cichorii, bardanæ, acetosellæ, glycyrrhizæ, colaturæ addatur, rob ribesiorum, sambuci, nitrum, salprunellæ, spiritus nitri, sulphuris per campanam, &c: capienda parca copia sæpius repetita, uti jam antea in cura Ischurizæ *Veræ* monuimus. 3°. Clysmata ex iisdem, quibus Decocta parantur, bis terve de die repetenda, pro necessitate, quia non solum liberant intestina a fæcibus comprimentibus cum adstricta alvus morbum acerbet, sed etiam vias urinarias, renes, ureteres, fovent, adeoque sunt instar fomentorum internorum, hinc & eorum effectus edunt. 4°. Fomenta externa emollientia, refrigerantia, uti ex radice althææ, foliis verbasci, malvæ, agrimonizæ, buglossæ sambuci, &c. quibus cum aqua vel sero lactis coctis immergantur panni lanei, ac loco dolenti tepide applicantur. 5°. Diæta, ut in inflammatoriis affectibus, in specie decubitus in dorso evitandus, quoniam cum a tali decubitu, tum a mole viscerum renibus incumbentium, au-
ge-

getur inflammatio; hinc erecto sedeant corpore. 6°. Observavit jam Medicinæ dogmaticæ rationalis fundator HIPPOCRATES, *Sect. VI. Aph. II.* quod nephriticis supervenientes hæmorrhoides sint solutares; ergo in hac inflammatione, renēs occupante, si vasa hæmorrhoidalìa tumeant, promineant, si iis antea laboraverit æger, horumque suppressio huic affectu dederit ansam, horum provocatione morbi solutio erit tentanda.

§. 64.

In suppressione urinæ a spasmodica tubulorum Belinianorum constrictione, ut in hysteris, commendantur nervina, anodina, & laxantia; externe linimenta oleosa paregorica, cataplasmata emollientia.

§. 65.

Si malum hoc ab evacuatione quadam copiosiori, ut sudore, ortum fuerit, facile derivatione ad renes facta curatur; si vero ab hydrope, difficilior res est, laudantur tunc a Practicis resolutiva & diuretica specifica fortiora, alias enim brevi mors sequeretur.

§. 66.

Reliquarum hujus suppressionis urinæ causarum curationem exhibere supersedeo, cum quæ restant fere vel ex ante dictis intelligantur, vel nullam recipiant medelam, exemplo sint renes lapidei, qui ut cognitu, sic curatu impossibiles habentur Practicis; vel etiam mortem prænunciant citam, ut in Ischuria quam Ileus inducit: præterea nec omnes, quæ adferri potuissent, causas, nec omnium therapiam, tradere aggressus fui; quod si suscepissem, hæc Dissertatiuncula in magnum excrevisset volumen, & non transiliendos in tali Specimine limites longe transgressus fuisset.

Habes, B. L. quæ super hac re scribere constitueram, qua potui brevitate complexa; hæc qualiacunque æqui bonique consulas rogo.

F I N I S.



COROLLARIA.

I.

*Nephritis sine ullo Calculo affligere potest, ut
e contra Calculus renum absque nephritide.*

II.

*Signa morbi causas denunciante sunt saepe fal-
lacia.*

III.

*Omnia fere Calculi signa adesse possunt absque
Calculo praesente.*

IV.

*Fortia Diuretica in Nephritide nequaquam con-
veniunt.*

IN

IN HONOREM
DOCTISSIMI ET ORNATISSIMI
VIRI
CORNELII MIDDELAAR,

*Cum Summos in Medicina Honores adeptus iter in
Zelandiam haberet.*

Scindit Agrestis sua lucra sperans
Terram aratro: navigat ad remotas
Indiæ gentes revehens Eöos
Nauta lapillos.

Non timet Miles comitante Marte
Plumbeas glandes, rigidos vel enses;
Quærit è contra gladiis honores
Fine carentes.

Et student illi Themidos potentis
Jura vel legum studium doceri;
Et juvat quosdam varios dolores
Noscere morbûm.

Artis arcanum Medicæ, Sodalis,
Utque scruteris Vigilans fuisti,
Nec labos unquam hic humeros gravabit,
Utpote gratus.

Polleas quanto ingenii Vigore,
Scripta testantur, quibus implicatas
Lotii obstructi dubiasque causas
Reddis, Amice.

Curæ si caput cruciantve corpus;
Tinniunt aures nimis, atque inique
Grandines vexant oculos, premit vel
Uvula fauces.

Qui trahit duros gemitus sub imo
Corde, vel presso graviusque tussit;
Lingua vel cujus titubat, pedes aut
Sæpe vacillant.

Hosce tu morbos sapiens repelles,
Et frui dabis meliore vita,
Parte nos poenæ invalidos levabis
Arte medendi.

O! meâ cantus cytharâ sonoros
Fundere, & dignas merito valerem
Ire per laudes, tua laus supremas
Scanderet arces.

Ulla nec famam raperet Vetustas,
Nomen at semper Medicos haberes
Inter Insignes, quibus alta semper
Fama manebit.

E

Ast

Ast Ego quod sum tenuis canendo,
Nec valent nervi resonare cantus,
Cui dedit Vati potius relinquam
Carmen Apollo.

Me jubet vero pietas amorque,
Nunc tibi quod mens maneat statuta
Tendere ad vestros patrios Penates,
Dicere dictum

Triste, quod fari mea vix valebit
Lingua; sunt fines positi quibusque:
Ergo nunc opto Valeas perennes
Sospes in annos.

Separent quamvis freta nos perampla;
Et velint aurâ variâ fruamur
Fata, non fidos soluent amores
Inter amicos.

Ut tuis Coeptis faveat supremum
Numen imploro, tibi tot salutis
Dona succedant, quot abundat astris
Arduus Æther.

Charta quod versu mihi seigniore
Currat, ac languens veterem poësin
Dextra nunc mutet, finiam canendo;
Vive Valeque.

M. T. HILGERS

J. U. Stud.